

Irenæo, lib. 4, cap. 48, baptizabant in nomine ignoti Patris omnium, et in veritate Matris omnium, et in nomine descendentiæ Jesu ad unitatem, et redemptionem, et communionem virtutum. Quod etiam paululum mutatis verbis refert Eusebius, lib. 4 Hist., cap. 40, et Epiphanius, hæres. 34, contra Marcianos, circa finem, et Niceph., lib. 4 Hist., cap. 4, circa finem. Alii vero tempore Apostolorum baptizasse dicuntur in tribus Patribus, seu in tribus sine initio principiis, seu in nomine trium principii expertium, aut trium Filiorum, aut trium Paracletorum, ut colligitur ex can. 48 seu 49 Apostolorum, ubi hic error damnatur, et can. 50, damnantur, qui baptizabant in Domini morte; quem errorem sequutos fuisse Eunomianos, refert Socrates, lib. 5 Hist., cap. 23. Cataphrygæ etiam, et Paulianistæ dicuntur corrupisse in hac forma invocationem Trinitatis, ut refert Innocent. II, epist. 22, c. 5, ubi in hunc modum explicat can. 49 Concilii Nicæni, in quo baptizati a Paulianistis, venientes ad Ecclesiam Catholicam, iterum baptizari præcipiuntur, quia in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti minime baptizabant, ut dicit Innocentius, qui tamen non explicat, quomodo hi hæretici in hac forma peccarent. Idem vero de Cataphrygis dicitur in Concilio Laodicæno, can. 8, et in Concilio Arelatensi, 4, dicitur de Arianis qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizentur, placuit. Unde colligitur aliquos etiam ex Arianis mutasse hanc formam, veram Trinitatis invocationem corrumpendo; quamvis non explicet, qualis fuerit illa mutatio. Nicephor. vero, 40 lib. Hist., cap. 35, refert quemdam Episcopum Arianum nomine Deuterium, baptizasse in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto; et addit miraculose accidisse, ut aqua, quæ ad baptismum parata erat, repente disparuerit in detestationem Arianae hæresis, quam Episcopus ille prædictis verbis, formæque mutatione profiteri intendebat. Horum omnium errorum nullum invenio fundamentum, nisi hoc solum, quod unusquisque hæreticus juxta suam falsam fidem, baptismi formam sibi confingebat.

2. Veterum sententiæ afferuntur, quæ sufficere affirmant implicitam personarum invocationem, seu quod fiat in nomine Christi. — Secundo, referri potest aliquorum veterum sententia, qui dixerunt, non esse de necessitate hujus formæ explicitam trium personarum invocationem, sed satis esse implicitam,

qualis in hac forma continetur: *Ego te baptizo in nomine Christi*. Hujus sententiæ videtur fuisse Nicol. P., in c. A quodam Judæo, de Consecr., dist. 4; consultus enim, an baptismus datus a quodam Judæo esset validus, respondet, si datus fuit in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi, fuisse validum; qui sequutus est in hac responsione Ambros., lib. de Spiritu Sancto, cap. 3, ubi sic inquit: *Qui benedicitur in Christo, in Patre, et Spiritu Sancto benedicitur, quia unum est nomen, una potestas*; et infra: *Qui Christum nominat, et dicit Filium, qui unctus est, et Patrem, a quo unctus est, et Spiritum Sanctum, quo unctus est*. Ex qua ratione et explanatione Ambrosii, constat eum non fundari in dispensatione aliqua, sed in significatione ipsius nominis Christi, quod omnes tres personæ saltem implicite continet. Eo vel maxime, quod licet aliqui dixerint hujusmodi licentiam, seu dispensationem baptizandi in solo nomine Christi concessam esse Apostolis, eorumque tempore durasse, nullus tamen probabiliter dicere, aut ostendere potest, perdurasse usque ad tempora Ambrosii, qui sua ætate illam formam validam esse existimavit. Multoque minus credibile est Judæum illum, de quo Nicolaus consultus fuit, hujusmodi dispensatione usum fuisse, nisi alicui fortasse placeat, quod Marsilius dicit, Nicolaum habuisse specialem revelationem hujus dispensationis. Hinc vero addit ulterius Ambrosius, baptismum datum in nomine unius personæ, quæcumque illa sit, dummodo vera fides omnium trium retineatur, esse validum, quia in una persona tres omnes virtute continentur. Quam sententiam secutus est Beda, in cap. 10 Act., circa illa verba: *Jussit illos baptizari in nomine Domini Jesu*. Citatur etiam in cap. 2 Lucae, ibi tamen nihil de hac re scribit; eandem sententiam tenet Bernard., epist. 340, ubi etiam approbat baptismum datum sub hac forma: *Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ Crucis*. Item Hugo de S. Victore, lib. 2 de Sacram., part. 6, cap. 2. Soto etiam citat in favorem hujus sententiæ Athanasium, lib. de Trinitate et Spiritu Sancto, et Cyprianum, lib. ad Quirin., et Chrysost., homil. 3 Imperfecti in Matthæum; sed apud hos Patres nihil invenitur, quod ad hanc quæstionem pertineat.

3. Ex Scholasticis vero sequutus est hanc sententiam Magister, in 4, dist. 3; Adrianus, quæst. 2 de Baptismo; Cajetan. hic, art. 5; item Gloss., in dict. cap. A quodam Judæo, et

cap. Multi sunt, de Consecr., dist. 4, et in cap. Si quis puerum, extra, de Baptismo. Fundamentum hujus sententiæ sumptum fuit ex quibusdam locis Actuum Apostolorum, in quibus dicitur dari baptismus in nomine Christi, aut in nomine Domini Jesu, ut videre licet, cap. 2, 8, 10, 44 et 49, et significat Paulus 1 ad Corinth. 4, ubi reprehendens eos, qui dicebant: *Ego sum Pauli, Ego autem Apollo, Ego vero Cephæ, Ego autem Christi*, inquit: *Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Significat ergo eos fuisse baptizatos in nomine Christi.

4. Conclusio. — Probatur primo ex verbis Christi. — Secundo probatur ex Ecclesiæ declaratione. — Dicendum vero est, primo, de essentia hujus formæ esse, ut in ea expresse, et distincte nominentur tres personæ Trinitatis, quatenus inter se distinctæ sunt. Ita docet D. Thomas hic, art. 6; Altisiodor., lib. 4 Sum., tract. 3, cap. 4, q. 2; Alens., 4 part., quæst. 13, membr. 3, art. 2, § 3, et art. 4, § 2; Marsil., in 4, quæst. 3, art. 3; Bonav., d. 3, art. 2, quæst. 2; Palud., quæst. 4, art. 2; Richard., art. 2, quæst. 3; Scot., quæst. 2, art. 3; quamvis hi duo ultimi magis dubii sint. Probatur primo ex verbis Christi Domini: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Jam enim supra declaravimus illud, *in nomine*, non tantum significare, in virtute, aut in fide, ut in aliis locis Scripturæ solet, Marc. 14, Matth. 15, Joan. 21, sed etiam significare baptismum esse dandum nominando, et voce ipsa invocando Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum. Quoniam eo loco intendebat Christus docere non solum præceptum, sed etiam ritum, formamque baptizandi, ut docuit Leo Pap., epist. 4, cap. 3, et Damascen., lib. 4 de Fide, cap. 10, et Justin., Apolog. 2 pro Christianis, circa finem, et optime Athanas., serm. 3 cont. Arian., paulo post med., et Chrysost., homil. 46 in ad Rom., et optime Fulg., in lib. de Incarnat., cap. 44, cujus verba referemus cum aliis Patribus, et ita Ecclesia semper intellexit, ut statim videbimus. At vero ex ipsis verbis Christi satis aperte constat hanc Trinitatis invocationem debere esse expressam et distinctam. Secundo hoc probatur ex Ecclesiæ declaratione et definitione, nam in can. 50 Apostol. reprobat baptismus datus in Domini morte. Quia non dixit Christus: *In morte mea baptizate*; sed: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti*. Unde Cle-

mens Pap., lib. 3 Constit., c. 46: *Nominans (inquit) invocationem Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, baptizabit eos in aqua*; et lib. 7, cap. 23: *Baptizare debes, quemadmodum Dominus præcepit, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; Patris, qui misit; Christi, qui venit; Paracleti, qui testimonium dedit*. Præterea Pelag. Pap., in cap. Si revera, de Consecr., dist. 4, dicit, baptismum datum in nomine Domini esse nullum; et in cap. Multi sunt, eadem distinctione, idem dicit de baptismo dato solummodo nomine Christi. Et Zachar. Pap., in cap. In Synodo, eadem distinctione, expresse docet, baptismum non perfici, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ita ut, qui vel unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, verum baptisma conficere non posset. Idem sumitur ex cap. Firmiter, de Sum. Trinit., ubi dicitur baptismus consecrari invocatione individua Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Et ex cap. 4 de Baptismo, et ex Concil. Florent. in Decreto Eugenii; ubi prædicta forma baptismi præscribitur, et sufficere dicitur forma Græcorum, dummodo in eo fiat Trinitatis invocatio.

5. Tertio probatur ex Patribus. — Ultimo probatur ratione. — Tertio, afferri possunt innumera Patrum testimonia, ex quibus videri possunt omnes expositores Evangeliorum, et omnes qui de baptismo scripserunt, ut Gregor. Nazianz., Nyssen., Tertullianus, et præsertim August., lib. 4 de Baptismo, cap. 45, et lib. 5, cap. 4, et lib. 6, cap. 17 et 25, ubi ait, baptismum verbis Evangelicis consecrari et sine illis confici non posse, ideoque baptismum ab hæreticis datum validum esse: *Quia facilius (inquit) inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent*. Præterea Damasc., lib. 4 de Fide, cap. 10, postquam docuit formam baptizandi datam esse a Christo supra dictis verbis, subdit: *At qui in sanctam Trinitatem minime baptizati sunt, ii denuo baptizentur necesse est. Etsi enim Apostolus his verbis utitur: In Christum et in mortem ipsius baptizati sumus; non tamen hoc vult, baptismi formulam his verbis constare debere; verum hoc demum, baptismum mortis Christi figuram præferre*. Atque idem est sensus Basilii, lib. de Spiritu Sancto, cap. 12, ubi ait: *Neminem offendere debet illud Apostoli, quod nomen Patris et Spiritus Sancti mentionem in baptismatis commemoratione frequenter omittit; neque ideo putat harum vocum usum esse*

*indifferentem*; infra vero hujus rei causam reddens videtur Ambrosii opinionem indicare. Dicit enim ideo Apostolum appellare baptismum in Christo, quia Christi appellatio totius est Trinitatis professio, quia simul declarat et Patrem, qui unxit, et Filium, qui unctus est, et Spiritum Sanctum, qui est unctio. At vero Basil. in hac ratione non intendit hanc implicitam Trinitatis professionem esse ad baptismum sufficientem, sed solum reddit probabilem causam modi loquendi Apostoli. Nam paulo inferius similiter dicit, interdum Apostolum solum Spiritum in baptismo fecisse mentionem, ut cum inquit: *Omnes in uno Spiritu baptizati sumus*, 1 ad Corinth. 12. Et tamen subdit Basil.: *At non ideo quis dixerit, perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem, etc.* Idem recte docet Gaudent., tract. 2 de Lect. Evang., qui est ordine nonus, ubi inter alia inquit: *Neque enim baptizari quis potest, nisi in integram atque inseparabilem Trinitatem.* Et deinde ex professo probat esse contra veritatem hujus sacramenti alicujus personæ professionem et invocationem omittere. Idem colligitur ex Ambros., lib. de His qui initiantur, cap. 4; et lib. 2 de Sacram., cap. 3; et Cyprian., epist. 73 ad Jubaian., parum a principio, et ex aliis Patribus supra citatis tam referendo priores errores, quam verba Christi explicando. Ratio vero seu congruentia hujus institutionis explicata est supra in Commentariis articulo D. Thomæ, et in sect. 4. Quibus addi potest, in lege Evangelica explicitam fidem Trinitatis esse ad salutem necessariam, per se loquendo; baptismum autem esse sacramentum fidei, ut loquitur Innocent. Pap., in cap. Debitum, de Baptismo, et August., epist. 103, quia sicut est janua Ecclesiæ, ita in eo fit expressa professio Evangelicæ fidei; et ideo oportuit, ut in eo tradendo fieret expressa invocatio Trinitatis, quæ est primarium objectum et fundamentum totius fidei, et principalis causa tam ipsius baptismi, quam omnium mysteriorum novæ legis.

6. *Nullus est baptismus datus in nomine Dei.* — Non est sufficiens forma baptismi, nisi omnes tres personæ sigillatim nominentur. — Atque hinc sequitur primo, ex vi hujus institutionis nullum esse baptismum datum in nomine Dei. Patet, quia sicut fides de Deo absolute et simpliciter non est fides explicita Trinitatis, ita invocatio Dei absoluta non est

invocatio Trinitatis explicita, prout ad baptismum est necessaria. Secundo sequitur, baptismum datum in nomine Patris et Filii, non nominato Spiritu Sancto, vel in nomine Patris et Spiritus Sancti, tacito Filio, vel denique in nomine cujuscumque personæ, sine nominatione aliarum, nullum esse. Quod quidem fatetur Ambrosius, quando is, qui baptizat, hunc defectum committit ex pravo errore, quo existimat in Trinitate non esse tres personas. Idem autem est, etiam si absque errore in fide id faciat ex negligentia vel odio, aut alio pravo affectu, quia valor sacramenti non pendet ex fide ministri, sed ex essentiali integritate et significatione formæ, suppositis aliis requisitis. Si ergo illa forma est insufficientis, quando minister non habet rectam fidem, etiam erit insufficientis, quamvis minister veram fidem habeat, dummodo cætera paria sint. Est ergo illa forma per se insufficientis; et ratio est, quia non continet expressam professionem totius Trinitatis, quæ necessaria est ex institutione Christi. Quinimo, neque implicite tota Trinitas satis indicatur, una tantum vel duabus personis nominatis, quia licet appellatione solius Patris implicite indicetur Filius, non tamen Spiritus Sanctus, qui sit persona ab eis distincta. Et idem est etiam si expresse Pater et Filius invocentur. Si vero nominentur Pater et Spiritus Sanctus, quamvis videatur implicite indicari Filius, non tamen ut persona a Spiritu Sancto distincta; quin potius indicari videtur, ipsum Spiritum Sanctum esse Filium, respectu cujus altera persona Pater nominatur; atque idem est servata proportione, si solus Filius et Spiritus Sanctus exprimentur; non fit ergo sufficiens Trinitatis professio, nisi omnes tres personæ nominentur.

7. *Baptismus in nomine Christi datus non est validus.* — Tertio sequitur, baptismum datum in nomine Christi, non exprimendo alias personas, esse invalidum ex vi institutionis Christi. Ita sentiunt omnes Theologi supra citati; et colligitur aperte ex omnibus, quæ in probatione assertionis positæ adducta sunt. Præsertim ex definitionibus Pelagii et Zachariæ Pontificum, et plura statim afferemus in solutionibus argumentorum. Nunc solum addo verba Bedæ, lib. Variarum quaest., q. 44: *Notandum, si quis baptizans dicat, baptizo te in Christo Jesu, et non dicat in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sicut Dominus instituit, non est verus baptismus.* Et ratio est clara, quia invocatio Christi non est expressa

Trinitatis professio, quam ostendimus esse de essentia formæ baptismi. Adde præterea, ex vi verborum etiam non esse implicitam Trinitatis professionem, quamvis supposita fide, quam nos habemus, possit eam nobis indicare, magis ex facilitate et promptitudine intelligentium, quam ex vocis significatione. Nam licet Christus sit unctus a Patre, tamen etiam ipse seipsum unxit, quatenus est suæ incarnationis et sanctificationis suæ humanitatis auctor. Atque eodem modo, licet dicatur Spiritu Sancto unctus seu sanctificatus per quamdam appropriationem, tamen etiam ipso Verbo, ejusque divinitate sanctificatus est, ac delibutus; unde si in Deo tantum esset una persona et carnem sumeret, proprie appellari posset Christus; ergo ex vi significationis hujus vocis non satis indicatur tota Trinitas etiam implicite. Ergo ex vi institutionis non potest illa forma esse sufficiens. Et hoc existimo ita certum, ut contraria sententia, quoad hanc partem, nullo modo probabilis sit. An vero aliquando ex dispensatione talis forma concessa fuerit, dicemus in solutione argumentorum.

8. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: de essentia hujus formæ est, ut in ea non solum Trinitas personarum, sed etiam naturæ unitas significetur, quod fit per particulam illam, *In nomine.* Ita sentit D. Thomas hic, art. 6, et Magister cum Scholasticis loco supra citato, et Hugo de S. Victor., lib. 2 de Sacram., part. 6, cap. 2. Et colligitur ex verbis Christi, adjuncta Ecclesiæ et Sanctorum intelligentia. Non enim sine mysterio existimatur dixisse Christus, in nomine, et non, in nominibus; sed ut indicaret unam esse trium personarum virtutem, substantiam et majestatem, quæ uno illo nomine significatur. Unde Hieronym., Matth. 28: *Baptizantur* (inquit) *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut quorum una est divinitas, una sit largitio, nomenque Trinitatis unus Deus est.* Et clarius super ad Ephes. 4, circa illa verba: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma: Non baptizamur, inquit, in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; sed in uno nomine, quo intelligitur Deus.* Eodem modo Augustinus, 3 contra Maxim., cap. 32: *In nomine, inquit, non in nominibus, quia hi tres unum sunt, et hi tres unus est Deus.* Ambros. 2 de Sacram., c. 7: *In uno nomine baptizare nos jussit, dicens: Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Noli mirari, quia dixit unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas,*

*una majestas.* Idem late, atque ex professo docet, lib. 4 de Spiritu Sancto, cap. 14, ex hoc et aliis Scripturæ locis ostendens, unum trium personarum nomine unam dominationem significari. Et Gaudent., tract. 14 de Promissione Paracleti, sic scribit: *Cum baptismi opus in Trinitate decerneret celebrandum, non ait, in nominibus, sed in nomine: Pater enim Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus Sanctus Deus est, sicut sanctarum Scripturarum testimoniis dilectioni vestræ sæpius approbavi; ac propterea unum est Trinitatis nomen, cujus una virtus atque divinitas permanet in omnia sæcula.* Ratio vero est, quia non minus est de necessitate salutis, unius divinitatis, quam trium personarum professio, nec potest esse vera ac perfecta hujus mysterii professio sine fide hujus divinitatis. Utrumque ergo debuit in forma baptismi explicari.

9. *Baptismus, in virtute Patris, et Filii, et Spiritus Sancti datus, dubius.* — Ex qua conclusione infertur, hanc formam: *Ego te baptizo in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* esse insufficientem ad hoc sacramentum constituendum, quia in ea fit essentialis mutatio. Nam si per vocem illam, *In nominibus,* indicentur tantum ipsa nomina relativa seu proprietates trium personarum, quamvis non admisceatur positivus error in forma, tacetur tamen mysterium unitatis trium personarum in Deitate, et ita non sufficienter explicatur in hac forma fides unius Deitatis in tribus personis. Si autem vox illa, *In nominibus,* indicet absolutum nomen seu perfectionem, continebit forma errorem unitati Dei contrarium. Atque eadem ratio est de quacumque simili mutatione vel additione facta huic formæ, ratione cujus, aut inæqualitas inter personas, aut distinctio in natura significetur. Si quis autem loco illius vocis, *In nomine,* diceret, in virtute, vel aliquid simile, quo unitas in natura trium personarum significetur, fortasse forma esset valida, quia res significata videtur esse eadem, quamvis vocibus diversis; graviter tamen peccaret, et non careret forma aliqua dubitatione, quia illæ voces non sunt omnino synonymæ; nam illud, *In nomine,* plus complecti videtur, quam si dicas, in virtute, aut in majestate, vel Deitate Patris, etc. Nam hoc totum illa voce comprehenditur, et præterea invocatio et professio fidei unius Dei atque Trinitatis.

10. *Hæc forma: In nomine Patris, et in no-*

mine Filii, et in nomine Spiritus Sancti, etc., est valida. — Sed quid, si quis baptizet hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, et in nomine Filii, et in nomine Spiritus Sancti?* videtur enim illa nominis repetitio æquivalere illi plurali voci: *In nominibus*. Respondetur non æquivalere; sed illam formam esse validam, quia unum et idem nomen potest iterum atque iterum nominari et invocari absque pluralitate; ut vere dicitur Pater Deus, Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, non tamen possunt dici Dii; quia hoc significat pluralitatem naturarum, illud vero minime, quia sunt unus et idem Deus.

11. *Ad rationes secundæ sententiæ respondetur.* — *Apostoli nunquam baptizarunt in nomine Christi.* — *Probatur primo ex Actor. 19.* — *Secundo probatur.* — *Tertio probatur.* — *Quarto probatur ex Patribus.* — Superest ut respondeamus ad ea, quæ in secunda sententia adducta sunt (nam de prima nihil dicere oportet). Et prius quam sententiam Zachariæ Pap. et Ambrosii explicemus, declaranda sunt illa Scripturæ testimonia, in quibus Apostolici dicuntur baptizasse in nomine Christi, aut in nomine Domini Jesu. Est enim valde communis inter Scholasticos sententia, Apostolos usos fuisse eo tempore hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*, non quia illa per se sufficiat, juxta Christi institutionem, sed quia ex speciali dispensatione hoc illis concessum fuerit eo tempore, ut nomen Christi, et fides, atque amor erga illum, fidelium animis magis insiderent. Ita sentit D. Thomas hic, et fere antiqui Scholastici supra citati. Mihi tamen longe probabilius videtur, nunquam Apostolos, aut eorum ministros, baptizasse sub illa forma, ita ut nomen Patris vel Spiritus Sancti omiserint, quod late docuit Armachan., lib. 8 de Quæstionibus Armenorum, a cap. 3; Can., lib. 6 de Locis, cap. 8, ad 7, et propendit Soto, in 4, dist. 3, quæst. unica, art. 3. Et probatur primo ex loco Actorum 19, ubi Paulus invenit quosdam, qui se baptizatos esse dicebant, eosque interrogavit: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus.* Tunc Paulus rursus interrogavit: *In quo ergo baptizati estis?* quæ interrogatio aperte supponit, non potuisse illos more consueto et ea forma, qua alii solebant, baptizari, non audito Spiritus Sancti nomine, quia nimirum non dabatur tunc forma baptismi absque Spiritus Sancti invocatione et appellatione; ergo tunc etiam

fiabat, in forma baptismi, expressa trium personarum invocatio. Et ideo Paulus iussit illos iterum baptizari baptismo Christi, et forma consueta. Secundo probatur, quia ex illo modo loquendi Scripturæ colligi non potest hujusmodi dispensatio, aut quod Apostoli illo modo baptizaverint. Primo quidem, quia baptizari in nomine Christi, vel in nomine Domini Jesu, non tantum significat, invocato hoc nomine, sed etiam significare potest, in fide, virtute et auctoritate ejus, et baptismo ab ipso instituto baptizari. Quod patet ex eodem loco Actor. 19, ubi statim subdit: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu*, ac si diceretur, baptizati sunt baptismo Christi, quia antea solo baptismo Joannis fuerant baptizati; quomodo exposuit Damasc., lib. 4 de Fide, cap. 40, quod Paulus ait ad Roman., cap. 6, nos esse in Christo baptizatos: *Nam in Christum*, inquit, *baptizatum esse, nihil aliud indicat, quam in eum credendo salutifera aqua tingi.* Sic etiam Basil., dicto lib. de Spiritu Sancto, cap. 42, exposuit, baptizari in Spiritu Sancto, non esse idem, quod baptizari sola Spiritus Sancti persona nominata, sed idem quod baptizari in virtute, seu in sanctificatione Spiritus Sancti. Vel aliter, quamvis demus, in illis locis significari, nomen Domini Jesu Christi solitum esse proferri in forma baptismi, non tamen inde potest colligi, nomina Patris, vel Spiritus Sancti fuisse omissa, quia facile potuerunt omnia conjungi, et proferri hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri, et Spiritus Sancti.* Atque hoc modo, et satisfit illi conjecturæ, quam sententia contraria afferebat, scilicet, quod nomen Christi exprimebatur, ut fieret amabile; et simul retinetur integra forma baptismi, et non omittuntur aliæ personæ, quarum amor æque necessarius est, earumque cognitio ad ipsum Christum melius cognoscendum confert. Tertio, quod Apostoli non fuerint usi dispensatione, videtur plane colligi ex illo Canone 49 vel 50 Apostolorum, ubi damnatur error eorum, qui baptizabant in morte Christi seu Domini, et subditur ratio: *Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, sed in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quæ ratio evidenter supponit, et illos semper præceptum illud et formam observasse, et omnem aliam, etiamsi sit: *In nomine Domini vel Christi*, insufficientem judicasse. Quarto, hoc potissimum confirmatur testimoniis Patrum, qui in hunc

modum prædicta testimonia interpretati sunt. Cyprianus, epist. 73 ad Jubaian., post medium, ubi tractans illa verba Petri, Act. 2: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi*, inquit: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omittetur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post resurrectionem a Domino Apostoli ad Gentes mittuntur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur; quomodo ergo quidam dicunt, baptizatum in nomine Jesu Christi, remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus Gentes baptizare jubet in plena et adunata Trinitate?* Eandem expositionem et doctrinam habet Fulgent., lib. 5 de Incarnat. et gratia, cap. 11, ubi inter alia inquit, *ideo in forma baptismi dictum esse, In nomine Filii, in singulari, ut significaretur, unam et eandem esse Christi personam in divinitate et humanitate subsistentem. Et propterea, inquit, omnis qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sacramento sanctæ regenerationis abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine baptizatur.* Atque in hunc modum exponit statim verba citata Petri, Act. 2, et Pauli, ad Roman. 6. Sic etiam Augustinus, lib. 3 contra Maxim., cap. 47, dicit, *sicut ex illis verbis, Joan. 4: Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, non potest colligi, Spiritum Sanctum excludi ab opere creationis, ita ex verbis Petri Actorum 2: Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi, non posse colligi illos non fuisse baptizatos in nomine Patris, et Spiritus Sancti, quia licet in nomine Jesu Christi jussi sint baptizari, una persona alias non excludit.* Eandem sententiam docet Chrysostom., homil. 30 in 2 ad Corinth., tractans verba illa cap. 13: *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Amen.* Ubi et considerat, interdum Paulum omnes tres personas simul nominare, interdum duas, interdum unam tantum, ut earum æqualitatem ostendat, atque unam ab altera non separari, et hujus occasione adducit illum 1 ad Corinth., cap. 6: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et Spiritu Dei nostri; et subdit: Quid igitur, dic, oro? Non baptizati fuerunt in Patre illi? Quare igitur non dixit, abluti estis in nomine Patris? quia sine discrimine, nunc hujus, nunc illius meminit hypostasis.* Eodem modo Origenes, lib. 5 in

ad Rom., circa illa verba cap. 6: *Quicumque baptizati sumus cum Christo Jesu, etc.: Requiras, inquit, hoc, quod Dominus dixit ad discipulos, ut baptizarent in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cur Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumpsit, dicens: Quicumque baptizati sumus, cum non habeatur legitimum baptismum, nisi sub nomine Trinitatis.* Et in summa respondet, Paulum ibi non describere formam et rationem baptismatis, et ideo non posuisse integra verba, sed ea tantum, quæ ad rem, de qua agebat, pertinebant. Ibi autem disputabat de baptismo, quatenus mortem et sepulturam Christi representat, et quia in hoc conformamur Christo, non Patri aut Spiritui Sancto, ideo Christi potius, quam aliarum personarum mentionem fecit, non quia in forma baptismi Christus absque aliis personis nominetur. Denique Theophyl. in fine Evangelistæ Lucæ tractans illa verba: *Et predicari in nomine ejus penitentiam*, et per penitentiam, baptismum intelligens, quærit, quomodo baptismum in nomine ipsius Christi fieri intelligent, cum alias doceamur baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Et respondet: *Primum dicimus, quod quando dicimus, baptismum fieri in nomine Christi, non dicimus, quod oporteat in solius nomine Christi fieri, sed quod Christi baptismum spirituale est. Insuper baptismum in nomine Christi, intellige in seipso continet et Patrem inungentem, et unctionem Spiritum, et unctum Filium.* In quibus ultimis verbis non sentit propter hanc causam satis esse proferre nomen Christi, sed reddit hanc inter alias causas, ob quas baptismus dicitur baptismus Christi, aut dari in nomine Christi, sicut supra exponentes Basilium dicebamus.

12. *Ultimo probatur conjectura.* — Ultimo adhiberi potest conjectura, quia nulla fuit in primitiva Ecclesia probabilis causa talis dispensationis, quia, etiamsi demus, fuisse tunc expediens nomen Jesu Christi expresse in forma proferre, nulla tamen ostendi potest utilitas in subticendis nominibus Patris, et Spiritus Sancti. Et alioqui sine evidenti necessitate non oportebat dispensare in lege maxime necessaria, cujus observatio erat veluti janua ad totam Christi legem suscipiendam, quæ tunc promulgari incipiebat. Adde explicitam fidem Trinitatis omnibus fuisse in præcepto ab initio predicationis Evangelicæ; ergo non erat tantum myste-